

Heinrich Rahn Moritz Bergelase

Disputatio Iuridica De Dote

Rostochii: Kilius, 1649

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766451135>

Druck Freier  Zugang






Ja - 1143 1-58.
Z 16.7

Universitäts-
Bibliothek
Rostock

42.18



DISPUTATIO JURIDICA

DE

DOTE

Quam

Deo ter Opt. Max. annuente

PRÆSIDE

Amplissimo & Consultissimo Viro

DN. HENRICO RASNERI


I. U. D. & Professore Publico

Dn. Præceptore ac Fautore suo

pl. honorando

Publico examini subijcitur


MAURITIUS Bergelase/Nob. Pom.

*Ad diem 9. Junij in Auditorio Majori,**horis matutinis*

ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILLI, Acad. Typographi

ANNO M. DC. XLIX.



ILLUSTRISSIMO ET EX-
CELLENTISSIMO HEROI AC
DOMINO

DN. JOHANNI
OXENSTIERNA

MAGNI AXELII,

Comiti Moriae Australis, Li-

bero Baroni in Kymitho, Dn. in Fy-
holm, Horningsholm & Tullegarn, Regni
Sueciae Senatori & Consiliario

Cancellariae,

Serenissimae Regiae Majestatis Sueciae

Regniq; ad Universales Pacis Tractatus

Legato extraordinario,

Domino meo clementissimo.

SI quod meum, hominis in Musarum adhuc
Themidisq; vestibulo versantis, ingenioli monu-
mentum potest esse ullum, dignum, quod solem
aspiciat, nec aeternis sepeliatur tenebris: nemo o-
mnium Teuno est, ILLUSTRISSIME DOMINE,

sub

sub cuius id nomine exire malim, quam sub TUO. Quippe ab illo, quam à se non habet, lucem foenerabitur, ejusq; clarissimo jubare omnem, quæ luminibus obstruere potest, noctem dispellet. Si cuius enim hoc seculo insigne est Nomen, TUUM est, & majorum radiis & proprio splendore fulgens. Quis namq; est orbis angulus, quo non *Familia tua* fulgor se diffuderit? Quæ gens tam dissita & ab orbe nostro divisa, quam non INCOMPARABILIS HEROIS PARENTIS Tui, fama illustraverit & victoriæ. Meritò dico VICTORIÆ, à prudentiæ Magistris edoctus: *Parva esse foris arma, nisi sit consilium domi; pluraq; consilio, quam Armis geri.* Illi igitur non injuria victorias vendico, qui consiliorum, unde illæ manarunt, perennis quasi fons fuit & scaturigo. Conciliata autem nuper ab Illustrissima Excellentia T. Christiano orbi pax, quam non patiatar SPLENDIDISSIMUM NOMEN TUUM in obscuro esse nemo non videt, nisi forte cui lubido est in mera meridie cœcutire. Ingerit tanti muneris fulgor in istorum quoq; se oculos, qui clausis quasi oculis ad ejus stricturas contemunt ingrati: atrâ bellorum nube intercipi maligne præoptantes omnem tranquillitati orbis serenitatem, in qua reducenda nullas suas agnoscunt partes. Hæc sunt, GENEROSISSIME DNE, quæ, vel ipsâ invidiâ invitâ, Te inter astra locant, & quaquâ cœlum panditur, veneratione coruscum reddunt; etiam his, quibus prælustre vultus Tui jubar nunquam adfulsit. Cujus, ne foris quæram, domi mihi documentum nascitur certissimum. Cum enim

enim ob umbraticam vitam hætenus ignorabilis; nunc
tandem ex latebris in publicum mihi prodeundum vi-
derem, nihil recte & ordine à me factum iri putavi, nisi
id *ILLUSTR. EXCELL. T.* fieret auspiciis. Ab illius
igitur fulgentissima luce lucis aliquid tenebricosæ huic
de *DOT E* dissertatiunculæ mutuatum venio: sperans
fore, quia nunquam lux sine calore est, unâ opera
ILLUSTRISSIMÆ GRATIÆ TUÆ calidum fa-
vorem in me derivatum iri. In quo, si voti damnabor, ul-
tra votum erò felix, ingensq; tam exilis, quamvis sub-
missi muneris præmium reportabo.

Illustrissimam Nomen Tuum
submisisse colens

Mauritius Bergelase.
Auth. & Resp.

Nihil unquam tam utile ac salutare à Legumlatoribus constitutum esse, quod non Theonino dente arrodatur hominum improbitas, vel inde liquidò apparet, quod jus nostrum Civile Justinianicum tantà prudentia & aequitatis ratione subnixum variegatè bene multis reprehendatur. Inprimis Imperatorem Justinianum male ferriati quidam carpunt, quod suasionibus & blanditiis Theodora Augusta delimitus, non semel à justitia semita discedens in favorem sexus muliebris ejusmodi privilegia sanxerit, quae evidentissimam caterorum hominum lesionem secum trahant. Cum tamen haec beneficia mulieribus concessa sint, propter sexus fragilitatem, propter obsequia, quae maritis praestant, propter partus periculum, & ipsam deniq; liberorum procreationem, ne damnum patiantur suisq; rebus defraudentur l. 12. C. qui pot. in pig. Haec sola hos improbitatis alumnos coercere debebant, ne tam petulantè sacratissima Imperatoris Majestati illudentes, à prono in uxorem affectu profectum esse dicerent, quod tantà aequitate nititur. Ut autem illud omnium oculis eo magis fieret obvium, hanc de Jure dotium disceptationem instituere, quibusq; juribus ac privilegiis optimus Imperator Mulierum dotes frui voluerit paucis edisserere animum induxi. Qui meus conatus ut bene feliciterq; vercat D. Opt. Max. sine cujus Numine nihil est in homine, suppliciter precor venerorq;.

THESIS I.

AC principio quidem etymologiam dotis quod attinet, vero videtur simile, Dotem dici à dando, seu dotando, ut Dos generatim loquendo, propriè nihil aliud sit, quam datio, seu donatio. Unde pecunià dicitur dos, si nuptiarum causà data est, ait Varro de ling. latin. lib. 4. circ. fin. Quod nobis

A

est

est Mitgift / Heyrathsgeld / Heyrathgut / Brautschah. Quamvis vox dotis etiam ad alias res transferatur. Dicimus enim dotes animi & corporis: dotes prædiorum pro ferramentis & instrumentis rusticis l. 2. in fin. l. 20. § 1. de instrum. vel instrum. leg. Cujac. in Nov. 128. Habemus quoque dotes Ecclesiarum cap. cum sicuto 8. Extr. de Consecr. Eccles.

2. Nobis in præsentiarum est sermo de dote foeminarum, quæ sine conjugio esse nequit, l. 3. ff. de jur. dot. Hæc definitur Res, quæ ex parte mulieris marito datur, ad sustinenda facilius matrimonii onera. Bocer. clas. 2. disp. 18. th. 2.

3. Dividitur in Profectitiam & Adventitiam. Illa est, quæ à patre, ut patre, l. 3. §. ii. ibi: si ut parens dederit. ff. de ritu nupt. profecta est de bonis vel facto ejus, sive ipse, sive alius ejus nomine eam dedit l. 5. prin. § 1. de jure dot. Hæc est, quæ à quovis alio data est, l. 35. de Jur. dot. l. 4. C. de collat. l. unie. § 1. in med. C. de rei ux act. Ulp. in frag. tit. 6. § 1.

4. Circa profectitiam hæc consideranda veniunt, quod pater teneatur, & officio Judicis cogi possit, dotare filiam l. 19. de ritu nupt. l. ult. vers. Neque enim leges. C. de dot. prom. Geil. 2. obs. 95. num. 1. adeo ut, si filius mutuam acceperit pecuniam, pro sorore sua in dotem danda, pater de interem verso teneatur actione l. 17. ad SCt. Maced.

5. Emancipatam verò, nisi omnino egeat, & sine dote conditionem invenire commodam nequeat, dotare non teneatur, arg. l. 44. pr. § 1. de jur. dot. Habet enim ipsa bona sua, ex quibus dos constitui potest, Bach. ad Treut. vol. 2. disp. 7. th. 2. lit. d.

6. Nec divitem filiam pater dotare obligatus est, cum quia cessat ratio d. l. 19. de ritu nupt. tum quia eam nec alere teneatur, arg. l. 5. §. 7. de agn. § alend. lib. licet dif. Geil. 2. obs. 95. num. 14. Nec hæreticam l. 19. C. de hæres. Hæreticus autem statim non est, quem Imp. l. 3. in fin. C. d. rit. Sed Hieron. in cap. 27. & Augustinus in cap. 28. & 29. caus. 14. q. 3. & gl. ibid. ad can. 5. describunt. Nec nubentem sine patris consensu, etiam si nubat viro honesto, de jure Civili §. si adversus. 12. Inst. de nupt. l. 3. de jure dot. De Jure Canonico, secundum quod nuptiæ in scio patre contractæ valent, cap. sufficiat. 2. 27. q. 2. cap. 14. 23. & 25. Extr. de Sponsal. secus est, gl. in cap. fin. ad verb. excusata. caus. 36. §. 1. Geil. 2. obs. 95. num. 10. Bach. vol. 2. ad Treutl. disp. 7. th. 2. lit. G.

7. De naturalibus, hoc est, ex concubinato natis, solent quarere DD. An & illæ sint à patre dotandæ? Verùm hodie supervacaneam eam arbi-

arbitror quaestionem, cum, ex ratione Juris Civilis, proprie non sint naturales: quia prohibitus est concubinatus. Si ergo adhuc libet illam quaestionem examinare ad jus Civile, dico patri liberum esse naturalem filiam dotare, at eum non posse cogi, nisi filia sit plane inops. Utroque tamen casu non plus accipiat, quam ipsi assignant *l. 8. C. de nat. lib. & Nov. 89. cap. 12.*

8. Hoc ipsum trahunt ad spurias filias, qui indistincte per spuriorum vocabulum intelligunt extra matrimoniū natos, ut *Palaeot. de spur. cap. 49. & 50. Cover. part. 2. de matrim. cap. 8. §. 6. num. 15. & alij.* Proprie autem sumptā voce Spurii inanis videtur quaestio; quia spurii nulum habere patrem intelliguntur, *§. 12. Inst. de Nupt.*

9. Filiam deniq, quae hactenus flagitiosè & turpiter vixit, sed jam mutatis moribus nubere cupit, dotandam à patre esse sentio, cum *Bach. d. loc. lit. f.* licet poenitentiae modus, turpitudinis qualitas, & exinde nota patri & familiae illata merito in considerationem veniant.

10. Quamvis verò tempore sponsaliorum vel nuptiarum non fecerit mentionem dotis, nihilominus tamen pater obstrictus est dotare filiam, secundum personae conditionem & patrimonii quantitatem. Quia Pater tenetur non tantum ut filiam in matrimonio honesto collocet; sed etiam, ut eam pro viribus facultatum dotet *d. l. 19. de ritu nupt. Geil. 2. obs. 95. num. 11.*

11. Redeo ad Adventitiam dotem & dico (I.) quod Mater pro filia dotem dare non cogatur, nisi ex magna & probabili causa, vel lege specialiter expressa, *l. 4. C. de Jur. dot.*

12. Magna autem causa est inopia patris, & eo mortuo, ipsius filiae inopia. Causa specialiter lege expressa existimatur, si mater non sit orthodoxa, sed haeretica. Haec enim obligata est filiae orthodoxae dotem dare per *l. 19. §. 1. C. de haeret.* Quam legem si de haereticis intelligis, sublata erit per subsequentem *Auib. Gazaros C. d. t. & cap. Vergentes. 10. Extr. de haeret.* Ubi haeticorum bona confiscantur, ita ut filii eorum ad successionem illorum pervenire nequeant. Posset tamen probabiliter defendi, quod ex bonis confiscatis aliquid alimentorum, vel dotis loco liberis orthodoxis assignari debeat; sicut olim ex bonis damnatorum, liberis portiones relinquebantur, *l. 7. ff. de bonu damnat.*

13. (II.) Quod frater locuples sororem germanam ac consanguineam inopem dotare teneatur, *l. 12. §. 2. in fin. de adm. tut.* non uterinam,

rinam, quia huic an velit dare dotem, voluntati & liberalitati fratris relinquitur. Non ergo erit necessitatis, *d. l. 12. § 3. in fin.*

14. (III.) Filius dives Matri viduæ juveni & egenæ dotem dare cogitur, *arg. l. 5. §. 2. vers. an verò etiam de agn. & alend. lib.* Ubi tamen notanda verba arbitror, quæ Jctus in fine ejus adjicit, & sunt: *cum ex æquitate hæres descendat charitateq; sanguinis: singulorum desideria judicem perpendere oportet.*

15. (IV.) Potest, si vult, avus maternus nepti *l. 45. sol. mat.*, ipsa mulier nubens pro se *l. 57. de jure dot.* & pro alia *l. ult. C. ad SC. Vell.* ac quis extraneus alius, si modò velit, dotem constituere *l. 22. prin. ff. de jure dot. l. unic. §. 13. C. de rei ux. act.*

16. Constituitur porrò dos vel ipsi marito, vel, jussu ejus, alii, *l. 22. §. 13. sol. mat. l. 14. de fund. dos. l. 59. de jure dot.* Et si maritus sit filiusfam. patri ipsius dos rectè constituitur & datur, *l. 57. de jur. dot. d. l. 22. § 12. vers. si filiusfam. sol. mat. l. 10. C. cod.*

17. Maritus autem, qui duxit uxorem nullà factà mentione dotis, non potest eam postea cogere, ut dotem constituat, quia (1.) sine dote consistere potest matrimonium, *l. fin. princ. C. de repud. l. 20. prin. C. de donat. ante nupt.* (2.) Dos proficiscitur à spontanea voluntate, quia respectu mariti est species donationis *d. l. 20. prin. vers. ideo enim & antiqui. C. de donat. ante nupt.* Atqui coactio resistit donationis essentiæ, *l. 29. de don. (3.) per dict. l. ult. § 1. C. de repud. vid. Merend. lib. 2. controv. cap. 47.*

18. Quod attinet ad res, quæ in dotem dantur, illæ possunt esse sive mobiles, sive immobiles; sive æstimatæ, sive inæstimatæ; sive corporales, sive incorporales, ut hæreditas, nomina & ususfructus, *l. unc. §. 7. in prin. & vers. Ex actio autem. C. de rei ux. actione. l. 30. C. de jure dot. l. 7. §. 2. & 3. l. 10. §. 1. 4. 5. 6. l. 69. l. 71. ff. l. 5. C. de jur. dot. l. 13. §. 10. de pet. hered. l. 2. C. de obl. & act.*

19. Res aliena in dotem dari potest, per rex. in *l. 6. §. 1. l. 81. ff. de jur. dot. l. 11. ff. sol. matr.* Sicut alias contractus super re aliena initus inter ipsos contrahentes est utilis. Et nullam omnino non esse constitutionem dotis rei alienæ, arguit id, quod ex causa dotis sequatur Usucapio, *tit. pro dot. Bach. ad Treutl. vol. 2. disp. 7. tit. 4. lit. C. ibiq; Humm.*

20. Valet quoq; indefinitæ dotis promissio à patre facta, *l. 69. §. 4. de jur. dot. ibiq; Cujac. in Papiniano, & arg. l. 19. §. 1. ibi: secundum ritus patrimonij. C. de heret.* Non verò ab ipsa muliere vel extraneo, per *l. 7. C.*

l. 1. C. de dot. promis. nisi arbitrium boni viri sit adiectum l. 43. de legat. 3. d. l. 69. §. 4. ibi: arbitrio quoque detracto. de iure dot. arg. l. 7. de Contr. Empt. Jung. Duar. lib. 1. disput. cap. 16.

21. Bona feudalia sine domini consensu in dotem dari nequeunt, per §. 1. donare. 2. Feud. 9. Qual. olim pot. feud. alienari. C. 2. Feud. 55. de prohib. alienat. per Frid. prin. vers. Habito ergo. Secus est in feudo foeminae proprio, 2. Feud. 13. C. 17. Wurms. pract. obser. tit. de feud. obs. 19.

22. Generali tamen Germaniae consuetudine receptum est, ut filiabus ex feudo in subsidiaria dos constituatur, teste Schurff. Conclus. 24. num. 1. cent. 1. Borch. in tract. de feud. cap. 7. n. 74. Carpz. in Jurisprud. Rom. par. 2. desin. 17. num. 6. Hart. Pist. lib. 2. quaest. 37. num. 4.

23. Id quod etiam in mea patria tam consuetudine receptum, quam Principum sanctione confirmatum est Wolgast. Landtages Abscheid de anno 1606. §. vnd anfänglich.

24. Dos tamen regulariter non debetur ex feudo filiabus, antequam creditoribus parentis satisfactum fuerit, arg. l. 8. §. 9. ff. de inoff. test. Gail. 2. obs. 119. num. 11. Quia dos pro modo facultatum constitui debet, l. 60. l. 69. §. 4. de iur. dot. l. 43. de lega. 3. nullae vero intelliguntur facultates, nisi quae post solutum aes alienum supersunt, l. 72. princ. de iure dot. l. 39. §. 1. de verb. sig. Plane si consuetudine alicujus provinciae aliud fuerit introductum, ut sc. filiae, etiam in concursu creditorum, ante exolutionem aëris alieni, ex feudis elocentur, tum consuetudini inhærendum, ait Carpz. desin. 17. num. 6. C. 7. Cum consuetudo patriae potissimum sit attendenda l. quod si. 31. §. 19. de ed. edict. & optima legum interpret existat. l. minime. 23. l. 37. de h.

26. Quantum vero ex feudis dotis nomine filiabus constituendum sit, vel exprimunt plerumque statuta locorum, vel Principis moderationi & arbitrio relinquitur, qui tam contemplatione feudorum, quam dignitatis mariti, dotem se constitutum pollicetur, uti expresse statutum est in privilegiis Nobilium Pomeran de Anno 1606 §. Die quantitatem der Aussteuer der Schwestern.

27. Præterea potest foemina omnia bona marito in dotem dare l. 4. C. de iur. dot. l. 72. princ. ff. Eod. Quod factum esse, citra constitutionem vel promissionem, in dubio non præsumitur arg. l. 1. C. de dot. caut. Gail. 2. obs. 82. Si ergo Uxor bona sua universa expresse non dederit in dotem marito, potius habeantur ea aut paraphernalia, quando scil. vel

tradidit ipsa viro (quod administrationis gratia factum intelligitur) vel eum illis uti frui patitur; aut receptitia, quando illa retinet mulier. Non enim, nisi volente uxore, extra dotem ullum sibi jus vindicare potest maritus in bonis uxoris *l. 8. l. fin. C. de pact. convent.* Triplex enim tribuunt mulieri patrimonium, nempe bona dotalia, paraphernalia, & receptitia *vid. Mysing. 3. obs. 53. Gail. 1. obs. 133. num. 5. & 2. obs. 82. num. 5.*

28. Quando verò mulier omnia sua bona in dotem dat, de presentibus saltem, non de futuris, seu quæ postea acquirit, hoc erit intelligendum *arg. l. 22. §. 5. in fin. ff. mandat. l. 7. l. 27. §. 2. l. 34. §. 1. de aur. vel arg. legat. l. 69. de leg. 3. Bocer. clas. 2. disp. 18. th. 36.*

29. Mulier ad secunda vota transiens & nullam dotem novo marito constituens, illam, quam primo marito dederat, eadem cum dote iterum nupsisse præsumitur *l. 30. de jur. dot. Gail. 2. obs. 82. num. 6.*

30. Quod non procedit de jure Cod. liberos si habeat ex priori matrimonio secundum nubens, quia tum dos non simpliciter, sed cum hoc moderamine repetita censetur, ut secundus maritus non plus dotis loco lucretur, Uxore sine liberis ex secundo matrimonio genitis mortua, quam quisque liberorum ex primo matrimonio, salva suâ legitimâ, accepit. Et si forsitan inter liberos inæqualitas facta sit ultimâ voluntate, maritus non plus dotis loco habeat, quam filius vel filia, cui minima pars relicta est *l. 6. in princ. C. de pact. convent.* Idq; obtinet ex ratione Juris veteris, secundum quod maritus, liberis ex se non extantibus, & soluto morte uxoris matrimonio, dotem lucrabatur adventitiam. Sed eum illa ratio per Constitutionem Justiniani *l. un. §. 6. C. de rei ux. act.* sit sublata, & contrarium introductum, ut, nisi aliud actum sit, dos penes maritum non remaneat, nihil ob stare videtur, quo minus major quantitas marito dotis causa assignetur *Gail. 2. obs. 82. num. 9. Bach. ad Tr. hic th. 5. lit. b.*

31. Si in dote danda alteruter vel uxor vel maritus circumventus sit, per restitutionem in integrum etiam majori 25. annis succurrendum erit ex æquo & bono *l. 6. §. 2. l. 12. §. 1. de jur. dot.* et si læsio in æstimatione rerum dotalium facta dimidium non excedat. Generaliter enim ill. loquuntur. Minori fœminæ, quæ in promissione seu constitutione dotis, ultra vires patrimonij, circumscripta est, succurritur per beneficium restitutionis in integr. *l. 9. §. 1. de minorib. l. unic. C. si adversus dotem.* Sed est nê restituendus minor. 25. annis, qui duxit

Uxo-

uxorem tum modica dote? Neg. cum *Merenda part. 2 controvers. cap. 47. num. 14. Dissen. Sfor. Od. de rest. in int. q 59. ars. 2.*

32. Dos constituitur (quæ vox ambigua est, & aliquando promissionem, vel alium modum, ex quo nascitur actio, aliquando ipsam traditionem notat) vel inter vivos, vel ultimâ voluntate. Et extra dubium est, quod fidejussor à muliere, & à quocunq; dotem promittente recte accipiat. *l. 5. §. 6. l. 7. l. 55. de jur. dot.* Interim maritus non dat fidejussores pro conservatione & restitutione dotis *Rub. C. t. t. C. Ne fidejuss. dot. dentur.* Soluta tamen postea matrimonio (quod quidem propriè hic non pertinet) recte dari fidejussores pro restituenda dote probant per *l. 24. §. 2. sol. mat. l. 7. prin. l. unic. §. 7. C. de rei ux. act.*

33. Inter vivos constituitur (1) Traditione vel verâ, cujus exempla sunt in *l. 10. de pact. l. 46. de jur. dot.* vel fictâ, qualis est patientia *l. ult. de serv. l. 3. pr. d. Usufruct. l. 1. §. fin. de serv. rustic. prad.* (2) Stipulatione *l. 20. C. de dos. prom l. un. prin. C. de rei ux. act.* (3) Pacto *l. 6. C. de dos. promiss.* (4) Acceptilatione, quod fit quando debitori marito acceptum fertur dotis constituendæ causâ *l. 41. §. 2. l. 43. pr. de jur. dot.* Hic modus constituendæ dotis dicitur aliàs fieri remissione debiti (5) Delegatione *l. 56. pr. de jur. dot. l. 49. solut. matr.*

34. Ultimâ voluntate dos constituitur v. g. quando legatur, vel donatur mortis causa *l. 76. d. 48. ff. de jur. dot. l. 4. ubi pupil. educ. deb. l. 7. §. 3. de cond. & demon.*

35. Quoties dos traditione constituitur nullâ rerum æstimatione adiectâ, dos inæstimata intelligitur. Per æstimationem enim emptio quædam contrahitur, quæ sine definitione certipretij, & sine tractatu præcedenti non potest perfici.

36. Solet constitutio dotis circumscribi certis pactis, quæ dotalia seu dotalia vocantur, & vel ante, vel post nuptias interponuntur ab iis omnibus, qui repetere dotem, & à quibus repeti potest *l. 1. l. 12. §. 1. l. 18. C. t. t. de pact. dotat. jun. rit. Cod. de pact. conven. & servanda sunt, nisi natura dotis sint contraria, vel conditionem mulieris deteriolem faciant, atq; ita cum utilitate publica pugnent *l. 2. l. 5. l. 14. cum trib. seqq. l. 19. pr. dict. rit. Jung Zobel. part. 2. differ. 48.**

37. Dos promissa tum tandem recte dos dicitur, & peti actione potest, quando nuptiæ fuerunt subsequutæ, *l. 21. C. l. 37. ff. de jur. dot.*

37. Ad finem & effectum dotis progredior. Finis proximus est, ut
sub-

subleuetur maritus in oneribus matrimonij ferendis *l. 7. prin. l. 16. §. 2. ff. & l. 20. C. de jur. dot.* Remotus est, ut mulieres facilius & melius nuberent possint *l. 2. b. t. Geil. 2. obs. 87. num. 3.* Ultimus est Reipub. utilitas, de qua in *l. 1. solut. marr.*

38. Effectus dotis constituta est, quod maritus dotem quocunq; modo promissam & nondum traditam persequi possit actione ex stipulatu: siquidem semper stipulatio supposita fingitur *l. unic. princ. C. de rei ux. act. jun. l. 6. C. de doti promiss.*

39. Competit etiam marito actio hypothecaria in bona ejus qui dotem promisit *l. unic. §. 1. C. de rei ux. act.* Ex qua marito constituitur hypotheca in bonis constituentis dotem, uxoris, foceris, vel cujuscunq; qui dotem promisit. Evictâ quoq; re aestimata in dotem data datur marito actio de evictione ex natura contractus *l. 1. C. & l. 16. l. 34. in fin. ff. de jur. dot.* quam non habet si res in aestimata in dotem data sit, nisi conventionem expressâ sibi caverit. Tum enim vel bonâ fide data est, & nulla est actio; vel malâ fide, & locum habet, pro conditione personæ, vel de dolo actio, vel subsidiaria in factum. Quod si verò hęc expresse sibi prospexerit maritus conventionem de evictione, tum agit de re evicta vel conditione, ut perinde, ac si nihil datum esset, alia res ejusdem pretij in dotem detur: vel ex stipulatione, juxta verba conventionis *d. l. 1. C. de jur. dot.*

40. Ob promissam autem & non solutam dotem, vir uxorem repudiare & domo eijcere non potest. Quia nullibi hanc divortij causam annumeratam reperimus; & maritus, si promissis non satisfiat, actionibus legitimis experiri potest *Wesemb. hęc num. 7.*

41. Porrò ad effectum dotis datæ pertinet, quod maritus dotis aestimata omnes commoditates & fructus lucretur *l. 7. prin. l. 10. prin. ff. l. 10. & l. 20. C. de jur. dot.* In aestimata saltem ea, quæ fructuum nomine veniunt, vel fructuum vicem obtinent *l. 34. de usur.* reliqua doti accedunt eamq; augent *l. 10. §. 1. & 2. l. 32. de jur. dot. l. 5. §. 12. & §. 13 solut. marr.* quemadmodum fructus & accessiones ante nuptias percepti in dotem convertuntur *l. 7. §. 1. l. 42. de jur. dot. l. 6. in fin. sol. marr.*

42. Sed estne res dotalis, quam pecunia dotali comparavit maritus, ad hunc etiam effectum, ut maritus ejus fructus lucretur? Sic puto per *l. 45. Jun. l. 26 ff. de jur. dot.* nec obstat *l. 12. C. Eod.* quia, quod ibi dicitur rem pecuniâ mulieris comparatam non ipsi acquiri, propterea fit, quia con-

constante matrimonio, maritus est dominus dotis, *vid. ib. 46. uxor*
 verò recipit tandem dominium soluto matrimonio *l. 30. C. de jur. dot.*
 ita ut non tantum habeat personalem actionem ex *d. l. 12. C. hic sed*
 & vindicationem, & hypothecariam, pro rebus dotalibus, etiam æstima-
 tis, repetendis *d. l. 30. C. de jur. dot. Jung. th. 70. & 71.*

44. Fructus dotis percipere maritum, dixi, propter onera matrimo-
 nij. At etiam si dos nulla, vel exigua sit data, tamen tenetur sæpius ultra
 dotis redditus impendere in uxoris honestam sustentationem, tum iob
 vinculum illud maritale, de quo *Gen. 2. vers. 23. & seq. Ephes. 5. vers. 28.*
 & *seq. l. 1. de ritu nupt. cum arg. l. 13. C. de neg. gest. l. 4. ff. de alend.*
 & *agnos. lib.*

45. Effectus etiam est, quod rerum æstimatarum, in dotem datarum,
 periculum spectet ad maritum, qui hic quasi emptor est *l. unie. §. 9. in fin.*
 & *§. 15. vers. item lic. C. de rei ux. act. l. 10. in prin. & §. 5. de jur. dot.* Ita ut usu
 mulieris fiant deteriores in damnum mariti *d. l. 10. prin. de jur. dot.* Si-
 mili modo res in dotem datæ, quæ pondere, numero, mensurâ constant,
 periculo sunt mariti *l. 42. de jur. dot.* Contrà rerum inæstimatarum in
 dotem datarum periculum mulieris est *d. l. 10. prin. & §. 1. de jur. dot.*

46. Traditæ dotis effectus est primarius, quod maritum faciat do-
 minum dotis *prin. Inst. Quib. alien. licet. l. 7. §. 3. ibi: sunt res mariti. ff. de*
jur. dot. l. 23. C. Eod. l. 13. §. 2. ff. de fund. dotal. §. 40. in fin. Inst. de rer.
divis. Et hoc dominium plerumq; non est perpetuum, sed revocabile.
 Hinc *glos. ad l. si constanse. 24. §. si maritus s. in verb. in alienis* dicit:
 quod, præsentî tempore inspecto, res dotalis sint mariti: sed spe futuri eas
 esse uxoris.

47. Mulier ergo, constante matrimonio, dotem alienare nequit
l. 23. C. de jur. dot. l. 21. C. de donat. Virum quod attinet, is res dotalis
 fungibiles liberè potest distrahere *l. 42. ff. de jur. dot. l. 1. & ult. de serv.*
pig. dat. l. 21. de manum. arg. l. 3. C. de jur. dot. Quod non tantum de re-
 bus, quæ servando servari non possunt, sed & de iis, quæ servari possunt,
 intelligendum puto, propterea, quod alienatio saltem prohibita sit
 immobilium *l. un. §. 15. C. de rei ux. act. & prin. Inst. Quib. alien. lic.*
vel non. Nec obstat, quod hic eadem subsit ratio, quæ in immobilibus.
 Ergo idem jus: quia regula illa locum habet in jure communi, non sin-
 gulari aut exorbitanti. *l. 141. de R. J. l. 14. de ll.*

48. Immobiles inæstimatas non potest alienare maritus *d. prin. Inst.*
 quibus

B

quibus alien. lit. vel nos. nec consentiente muliere. l. unic. §. 13. C. de rei ux. act. l. 42. ff. de Usucap. Nisi (1) jurata consenserit, tum enim melius ipsam consulere suæ conscientiæ arbitror, quam ut prohibitioni merè civili inhereat c. 28. Ext. de iurjur. cap. 2. eod. in sexto. vel nisi (2.) suum consensum post bicanium repetat, in casu, ubi aliæ res sunt viro, quibus illi possit consuli, per tex. in Nov. 61. cap. 1. §. 3. in fin. vers. Et multo potius. Auth. sive à me. C. ad Sciam Vellejan. ibiq. Bart. Cujac. ad dict. Nov. 61. Rittershaf. ad Nov. part. 5. cap. 9. num. 10. Matth. Steph. ad d. Nov. num. 26. licet gl. ibid. dissent.

49. Interim non nego constantè matrimonio fundum dotalem alienari, vel permutari posse, si hoc mulieri utile sit, ex pecunia in rem, aut ex re in pecuniam l. 26. l. ult. ff. de iur. dot.

50. Immobiles res dotales, æstimatas, maritus alienare potest d. l. unic. §. 15. C. de rei. ux. act. vers. licet enim. Quod tamen restringo ad voluntariam alienationem, & minime extendo ad necessariam, v. g. si fundus dotalis communis sit, & arbitrio iudicis dividatur, vel alteri adjudicetur per l. 1. prin. ff. & l. 2. C. de fund. dotal. l. 78. §. 4. ibi: extraneo additus. ff. de iur. dot. Deinde limito assertionem, si convenit, ut soluto matrimonio electio sit uxori, an rem, vel æstimationem malit, ex l. 1. C. de fund. dot.

51. Restat aliquid dicendum de repetitione dotis. Circa quam cum primis consideranda veniunt quatuor. 1. tempus repetitionis. 2. qui repetant. 3. quid veniat in repetitionem. 4. quâ actione dos repetatur.

52. Tempus quod attinet, repetitur dos, vel soluto, vel stante matrimonio. Circa solutum matrimonium iterum distinguit jus Civile inter modos, quibus solvitur conjugium, an sc. divortio, vel morte, eaq. rursus, vel viti, vel uxoris, solutum sit; & ulterius inter profectitiam, & adventitiam dotem.

53. Mortuo marito, vel soluto per divortium, sine culpa uxoris, matrimonio, res mobilis & incorporalis, intra annum, ceteræ verò, quæ solo continetur, statim restituendæ sunt, vel usuræ præstandæ l. un. §. 7. vers. Ex actio autem. C. de rei ux. act. l. 14. & seqq. de pact. dotal. Et tantum de tempore repetitionis.

54. De personis, qui repetunt dotem, hæc collegi ex jure. Soluto matrimonio per divortium, sine uxoris culpa, vel morte mariti, patet
Uxor

uoris adhuc filia familias, adjecta filia, seu consensu filia, repetit dotem & profectitiam & adventitiam; illo in casu, ab ipso marito, in hoc, ab ipsius hæredibus l. 2. §. 1. & 2. l. 3. §. 1. 22. §. 5. ff. l. 2. §. 7. C. sol. matr. l. 14. prin. ad L. Falcid. l. 34. §. 5. de leg. 2. Ulp in frag. tit. 6. §. 3. Quod si filia pacta sit cum marito de non repetenda dote, nocet id patri, quando nihilominus, adjecta filia personam, velit agere l. 7. de pact. dot. non obstante l. 2. §. 1. in fin. sol. matr. Interdum tamen patri, interdum filia, si ille, vel hæc sit turpis persona, vel pater sit furiosus, vel ob aliam etiam causam actio denegatur l. 2. §. 2. l. 22. §. 6. & 10. ff. sol. matr.

55. Emancipata vero filia, siue ante, siue post dotis dationem, emancipata sit, in dictis casibus, tam profectitiam, quam adventitiam dotem, sola & absq; patre repetit l. 2. prin. l. 22. §. 5. in fin. sol. matr. l. ult. C. eod. l. unio. §. 11. C. de rei ux. act. Cujac. trac. ad Afric. in l. 34. sol. matrim. nisi ob id divertisset, ut maritum lucro dotis afficeret, & patrem fraudaret. l. 5. de divor. & repud. vel contra filia repudietur in fraudem patris, ut scilicet mortua eà vir hæredibus suis dotem lucretur l. 59. sol. matr. Et ampliatur dicta in pr. hujus th. assertio, quod filia contra ipsum patrem agere possit, si ille sit hæres generi l. 44. pr. sol. matr.

56. Adventitiam dotem in adductis casibus extraneus, qui eam sibi reddi stipulatus est, ipse repetit. Si autem talis stipulatio, vel pactum non est adjectum, mulieri succedat dos l. un. §. 13. C. de rei ux. act.

57. Matrimonio soluto morte mulieris, nisi in contrarium pactio, vel stipulatio intercesserit l. 6. C. de pact. conv. dos à patre profecta ad patrem revertitur l. 6. pr. ff. d. jur. dot. l. 4. C. sol. matr. ad quem etiam redit, mortua in matrimonio filia, dos, quam avus propter filium nepti dederat l. 6. ff. de collat. bon. Bach. ad Treut. hinc. th. 2. lit. C. Quod si pater non sit, apud maritum remanet, Ulp in frag. tit. 6. §. 3. Rittersh. in Nov. part. 1. cap. 4. siue filia sit in potestate adhuc patris, siue emancipata l. 10. prin. sol. matr. Et hunc unicum casum in l. 75. vers. cum in uno casu ad eum regredi possit. ff. de Erit. intelligo cum Antonio Fabr. 13. Conject. 1 Si vero filia superstes liberos relinquat, profectitia dos an manere apud maritum, an ad patrem reverti debeat? acriter disputari solet. Ego cum Anton. Fabr. 1. conject. 16. statuo, illam apud maritum manere. Eamq; opinionem ubiq; fere locorum receptam esse testantur Interpretes & cum iis Treut. hinc. th. 11. lit. c. ibiq; Hann,

58. Adventitia dos relinquebatur olim marito superstiti l. 20. prin. ff. de Cond. inst. l. 5. prin. de bon. damnat. l. 22. de relig. & sumpt. fun. sive extabant liberi, sive non Rutterhus. in Nov. part. 1. cap. 4. num. 11. si is, qui dederat, non esset stipulatus, vel pactus, ut sibi dos redderetur, quod in continenti fieri debebat l. 29. prin. sol. matr. Hoc enim factio ipse repetebat, qui dederat: quæ dos specialiter dicebatur Receptitia, Ulp. tit. 6. §. 2. vers. adventitia. Jung. l. unie. §. 13. vers. stipulatione. C. de rei ux. act. Posterius hoc etiam noviori jure consistit l. 1. C. de pact. convent. dist. l. un. §. 13. vers. in presenti. C. de rei ux. act. At prius contrario modo se habet, quia dos adventitia, jure Codicis, penes maritum non manet, si aliud actum non sit l. 8. C. d. jur. dot. l. un. §. 13. cir. fin. vers. nisi expressim. C. de rei ux. act. vid. ib. 30. sed eam actione ex stipulatu, sive expressa illa ad sit, sive tacita, lege data, hæredes uxoris reposcunt §. illo. 6. C. de rei ux. act. quod & obtinet, quando mulier ipsa dotem dedit arg. jam dist. §. 6. l. un. C. de rei vind. jun. l. 25. C. de jur. dot.

59. Cum autem hodie sui juris, & patriæ potestatis non tanta magis sit differentia, neq; tam facile divortii solvantur matrimonia, 1. ad Cor. 7. & tit. Extr. de divors. hæc ex jure Civili hæctenus deprompta, non exactè amplius observantur, Olden. in act. Sponsal. p. mi. 1231. & 1233.

60. Illud adhuc est in usu, quando adulterio mulieris solvitur matrimonium, seu divortium fit, maritus lucratur dotem l. 38. sol. matr. l. unie. §. 5. vers. ne varium. C. de rei ux. act. Nov. 117. c. 8. Nov. 22. cap. 15. vers. si igitur mulier. c. 4. Extr. de don. int. vir & ux. Quod tamen non obtinet (1.) si supersunt liberi ex eodem matrimonio. d. Nov. 117. cap. 8. vers. si enim filios (2.) si mulier viri lenocinio adulterata fuerit l. 47. ff. sol. matr. C. 6. de eo, qui cogn. consan. (3.) Si ipse quoq; maritus adulterium commisit: tuta enim paria vitia compensatione mutuâ dissolvuntur, l. 47. ff. sol. matr. c. penul. cir. fin. & cap. ul. Extr. de adult. c. 4. in fin. Extr. de divort. Vid. Beust. de matrim. cap. 21. prin. & de dote cap. 6. prin. Ubi subjicit: sunt & multæ aliæ causæ, propter quas maritus dotem lucrificere potest, quæ plerumq; instrumento dotali inseri solent.

61. Ob osculum ab alio acceptum, vel datum alteri, uxor non amittit dotem, sive sit in terris, ubi oscula sunt honesta, atq; concessa humanitatis signa, sive in illis locis, ubi non sunt talia. Nec enim statim sunt libidinis & adulterii certa indicia Giph. ad l. 6. C. d. pact. conven. Alciat. 4. Parerg. 10.

LA 8-

62. Cor

38
62. Constante matrimonio, dos regulariter non repetitur *l. 1. de jur. dot.* Repeti tamen potest, necessitate, utilitate, vel pietate exigentibus, videl. (1.) si maritus vergat ad inopiam *l. 24. sol. matr. l. 29. C. de jur. dot. Gail. 2. obs. 84.* (2.) Si creditores mulieris urgeant solutionem debiti *l. fin. de jur. dot.* Vel (3.) ut egentibus & captivis liberis, fratribus, aut parentibus consulatur, *l. 20. sol. matr. l. 73. §. 1. de jur. dot.* Et sic quoque recte repetitur dos, quando ex legitima causa separantur conjuges *l. 1. §. 2. Extr. de divor. l. 31. prin. sol. matr.*

63. Verum in casu dicto, de marito ad inopiam vergente, restituendam dotem marito, si ad meliorem & pinguiorem fortunam perveniat, puto cum *Gail. 2. obs. 85.* Ubi tamen monet in fin. Judicem hanc debere accuratum adhibere iudicium *arg. l. 22. §. 8. vers. fin. verò dotem §. l. 1. vers. tam diu. ff. de curat. furios. Jung. Rittertb. in Nov. par. 5. cap. 2. num. 4.*

64. Fœminæ, quæ ante matrimonium plene & exacte exploratam habuit conditionem viri obarati, non concedatur repetitio dotis constante matrimonio, per *l. 14. de R. J. l. 34. C. de trasact. l. 3. in fin. ff. ut in poss. legat. cap. Scienti. 27. de R. Jur. in 6to. Gail. 2. obs. 84.*

65. In repetitionem dotis venit non saltem ipsa res, sed & fructus ante, vel post matrimonium percepti. In ipso matrimonio percepti fructus pertinent ad maritum, si ve dos sit æstimata, si ve non: neque reliquæ accessiones, quæ fructuum nomine non continentur, in repetitionem dotis æstimatæ veniunt. Quia maritus dotis æstimatæ, quasi emptor, & commodum sentit & dispendium subit, & periculum expectat *l. un. §. 9. in fin. C. de rei. ux. act.* In æstimatæ contra dotis accessiones unà cum dote repetuntur. Imò fructus novissimi anni in quo matrimonium solvitur, pro rata temporis portione, utriusque parti debent assignari, *l. 5. §. 6. 7. l. 11. l. 23. §. passim t. t. ff. sol. matr. l. un. §. 9. C. de rei. ux. act. l. 31. de pact. dot. deductis expensis fructuum causâ factis l. 31. §. 1. l. 13. l. fin. de Impens. in res dot. fact. l. 7. §. fin. sol. matr.* Impensarum autem in ipsam rem dotalem factarum ratio ita habetur in repetitione dotis, ut Necessariæ dotem minuant ipso jure, si consistat illa vel in pecunia tantum, vel simul in fundo æstimato, adeoquæ quantum in dotem impensum est, tantum in pecunia deberi desinat. Si verò fundus solùm est dotalis, tum non quidem desinit esse dotalis ob impensas necessarias, sed, nisi impensæ reddatur, aut pars fundi, aut totus retinetur *l. 56. §. 1. de jur. dot. l. 5.*

prin. §. 1. & 2. de impens. in res dot. fac. l. unic. §. 5. de rei ux. act. §. 37. Inst. de act. Sic & Utiles voluntate mulieris factæ deducebantur olim (h. e. tam diu detinebatur res dotalis, donec impensarum æstimatio præstaretur) l. 8. de impens. in res dot. fact. sed recentiori jure repetuntur hæ vel actione mandati, si voluntate mulieris factæ sunt, vel negotiorum gestorum actione, ubi mandatum deficit l. unic. vers. Utiles autem C. de rei ux. act. Voluptuarias restituat mulier repetens dotem, aut patiat, ut tollat eas maritus, si separatio fieri potest sine rei læsione; hoc si fieri nequit, relinquuntur in re dotali l. 19. de Imp. in res dot. fac. l. un. §. 5. in fin. C. de rei ux. act. Quæ autem sint necessariae, quæ utiles, vel voluptuarie impensæ, vid. in l. 14. de impens. in res dot. fact. l. 79. d. R. 7.

66. Ultimò aliquid addendum de actione, quæ dos repetitur. Ubi distinguendum inter extraneum, ipsamq; mulierem, & ejus parentem.

67. Extraneus repetit dotem vel actione ex stipulatu (quæ manet hic stricti juris, gl. in l. 2. prin. ad verb. non cogitur. & DD. commun. ibid. sol. matr. Schneid. ad §. fuerat. 29. num. 14. Inst. de act. Bach. ad Tr. bte rb. 8. lit. A) quando de reddenda dote sibi stipulatus est, l. unic. §. 13. C. de rei ux. act. Jun. l. ult. prin. vers. sancimus. C. de jur. dot.

68. Ipsa mulier, ejusq; pater, in cujus potestate est, repetunt dotem ex stipulatu, sive stipulatione sibi caverint de dotis restitutione, sive non; translata sc; actione rei uxoriæ in actionem ex stipulatu, quæ hoc loco est bonæ fidei, l. un. prin. vers. Rei uxoriæ. §. 2. & §. 6. C. de rei ux. act. §. 29. Inst. de act.

69. Notandum est hic, maritum, non tamen ejus hæredes, nisi sint liberi ejusdem matrimonii l. 18. pr. sol. matr. à quo dotem repetit uxor, vel alius jure illius, non proprio, ut v. g. ipse hæres seu successor l. 36. ff. sol. matr. in id tantum condemnandus est, quod facere potest, h. e. non totum, quod habet, extorquendum est, sed ejus ratio habenda, ne egeat, l. 173. prin. d. R. 7. l. 12. & 13. sol. matr. l. unic. §. 7. C. de rei ux. act. Uti in aliis contractibus ab uxore conventus l. 22. de re judic. nec pactum de solida dote restituenda observandum est in hoc casu l. 14. §. 1. sol. matr. Socero quoq; uxoris, id est patri mariti, eum quo maritus de dote agit, idem honor habendus, l. 15. §. 2. & l. seq. sol. matr.

70. Præter dictam actionem ex stipulatu habet mulier rei vindicationem pro restitutione dotis, sive dos consistat in rebus mobilibus, sive

immob.

immobilibus, siue res sint affirmatae, siue non, ex *Constit. Justiniani l. 30. C. de jur. dot.* Habet etiam Hypothecariam *l. un. §. 1. C. de rei ux. act. l. un. §. 1. C. de rei ux. act. d. l. 30. ibi: hypothecariam omnibus anteriorem possidere dicitur. C. de jur. dot.* Quae utilior est vindicatione. Haec enim competit saltem pro rebus dotalibus extantibus *d. l. 30. prin. ibi: si tamen extant. §. 26. in fin. Inst. de rer. divis. Auth. si quid. C. qui pot. in pig.* cum illa detur tam extantibus, quam consumptis rebus dotalibus, *l. Asiduis. 12. vers. cum enim. C. qui pot. in pig. Nov. 91. cap. 1.*

71. Et illa hypothecaria actio profluit ex eo, quod mulier habet tacite hypothecam in omnibus mariti bonis, ex lege propter dotem *l. un. §. 1. C. de rei ux. act.* Ut & ratione donationis, propter nuptias à marito factae uxori in compensationem dotis *l. 29. C. de jur. dot. nec non paraphernalium, à viro administratarum, nomine, l. fin. vers. sin autem. C. de pact. conventi.*

72. Præter tacitam hypothecam in causa dotis, non paraphernalium, *d. l. 29. vers. sed ita eam posse, &c. C. de jur. dot. arg. l. 141. de R. J. nec donationis propter nuptias, d. l. 12. §. 2. C. qui pot. in pig.* prælationis privilegio uxorem donavit Justinian. ejusque liberos duntaxat, non patrem, neque extraneum, qui dotem dedit, & soluto matrimonio sibi reddi stipulatus est, *l. 12. §. 1. C. qui pot. in pig. Nov. 91. in præm. vers. Non enim aliter.* ita tamen, ut si quis duas successive habuerit uxores, & inter primam sobolem, & secundam uxorem ipsam, seu hujus liberos oriatur contentio super dote in bonis mariti, tum juris communis dispositione prioris soboles præfertur novercæ, ejusve liberis *d. l. 12. §. 1. vers. Except. & Auth. si quid. C. qui pot. in pig. Nov. 91. cap. 2. §. 29. Inst. de Act.*

73. Secundum hoc prælationis privilegium præferri mulierem in repetitione dotis omnibus creditoribus, etiam anteriorem expressam habentibus, sentio cum *Mynsing. 4. ob. 13. Ern. Corb. 3. Resp. 21. num. 20. & seqq.* per generalem textum in *dict. l. 12. C. qui pot. in pig. & Nov. 109. cap. 1.* Et hoc usu fori nostri provincialis observari, etiam in casu, ubi vidua pugnât cum creditoribus publicam & consensu Principis confirmatam hypothecam habentibus, ostendit *Constitutio Provincialis de anno 1606. §. In concursu creditorum.*

74. Præterea privilegium prælationis locum habet in augmento dotis, per tex. in *Nov. 97. §. 2. ibi: ut & dos & augmentum similiter &c. ibiq. gl.*

75. In nostra Pomerania, ex privilegiis Nobilium, tertia pars augmenti, seu meliorationis viduæ prædefuncti mariti debetur, siue libe-

ros habeat, sive non, E. g. Si uxor 100. dotis loco intulerit, tum 150. recipiat Wolgast. Landtages Abscheid / de anno 169. §. So erklären. Atq; hujus augmenti tantus est favor, ut non solum citra conventionem partium vigore privilegii debeatur, sed & eodem jure, quo ipsa dos, gaudeat, uti sæpius in Dicafterio Anterioris Pomeraniæ judicatum audiui.

76. Neq; quicquam moveor per Conclusiones Stetiniensium, qui augmentum dotis pro lucro reputant. Nam non ex liberalitate mariti, sed peculiari Juris provincialis dispositione hanc dotis meliorationem mulieres nanciscuntur, propterea quod operam, curam & industriam in conservandis & augendis rebus domesticis adhibeant. Unde apparet, magis ob causam onerosam, quam ob lucrativam, hoc beneficium mulieribus indultum. Jung. *Modest. Pist. q. 32. num. 8.*

77. Imò & aliàs dispar in eo ratio est dotis & augmenti dotalis, quod etiam, cum fides de dote habita non est, periinde debeatur, & quidem totum, ac si dos soluta esset, *Anton. Fab. in Cod. lib. 5. tit. 7. defn. 16. Jung. defn. 1. eod. tit.* Non autem habet privilegium prælationis dos promissa, aut, quam vocant, confessata; sed numerata *l. 9. prin. C. de bon. proscript. l. 2. in fin. C. de donat. ante nups. l. 1. C. de dot. caut. non num. d. l. 12. §. 1. ibi: si tamen re ipsa fuerint parti mariti data C. qui pot. in pig.* Mulier ergo, quæ vult præferri in concursu creditorum, probet realem dotis illationem. Neq; sufficit hîc confessio, seu apocha mariti: quia ejusmodi confessio ipsi quidem & illius hæredibus, at non tertio, seu alij creditori præjudicat *arg. l. 2. & 3. C. de non num. pecun. Schusid. ad f. fuerat. 29. Inst. de act. num. 66. Gail. 2. Obj. 81. num. 1. & 2.*

78. Cum verò inter sit scire, à quo die bona mariti sint obligata uxori dotata; siquidem ante obligationem illam, quæ alienat maritus, hypothecâ non continentur, & potuit ea licite alienare: ideoq; quæstio orta est, à quo tempore incipiat hypotheca dotalis: promissæne dotis, an numeratæ, an deniq; contracti matrimonij? v. g. Sempronius cum Caja anno 1642. contraxit sponsalia, confectoq; instrumento dotali, hæc promisit illi 100. anno subsequenti 1643. subsecutum est matrimonium, tandem anno 1647. numerata est dos; medio autem tempore idem Sempronius æs alienum contraxit. Ego amplector sententiam illorum, qui à die nuptiarum, seu contracti matrimonij privilegium illud dotis incipere existimant, cum *Gail. 2. obj. 86. num. 3.* Ubi ait, hanc opinio-

nem

38
nem esse communem. Eamq; approbat *Elect. Augst. part. 2. Const. 24.*
ibi: Das von Zeit der vollenzogenen Ehe.


79. Competit deniq; mulieri pro dote, pro donatione propter
nuptias, rebusq; aliis paraphernalibus jus retentionis in bonis mariti
tam diu, donec ipsi dos illata ac numerata restituatur *l. 29. C. de jur. dot.*
Mynf. 6. Obs. 45. num. 5. Bald. Novel. de dot. par. 8. privil. 6. num. 21.

Wesemb. Confil. 77. num. 19. De nostro quoq; jure provinciali hoc
extra dubium est, *Wolgast. Landtages Abscheid*
de anno 1560.

Tantum.

SOLI DEO GLORIA.





Ad Nobilissimum

Dn. Respondentem.

Quando, *MAURITI*, Dotis jus nobile tractas,
Ostendis vera nobilitatis opes.

Dotē sacrae Themidos dos crescit a vita Parentum:
Clarescit studiis nobilitatis honor.


Ergo perge tuum factis extendere nomen:
Nobilitas virtus sola perennis erit.

scrib.

PRÆSES,







quando quis obscuro loco natus, fraudu-
 tatione, nobili alicui familiae se infere-
 sub titulo cognationis ab aliis, vel ejus-
 familiae, nobilibus pecuniam, vel aliud
 dicet, vel alio modo eosdem fallat.
 1615. vagabundus quidam homo co-
 uelem Phocam, Palatinum Constanti-
 cupans, & ex familia illustri Graecorum
 jactans, adjumeto intercessionu, quas
 te impetraverat, in plurimorum prin-
 s, & civitatibus ingentem pecuniae
 & emendicavit; cui postea, ob delicti
 poenam dictaverunt Scabini Lipsien-
 no 1629. Mens. Martio foeminae cui-
 , ex nobili familia se natam & bonis
 mutato nomine a Nobilibus pecuni-
 , poenam temporalis relegationis in-
 runt. *Carpzov. prax. criminal. part. 2.*
 am sequenti *num. 41.* adducit exem-
 assumpto nomine Advocati cujus-
 ejus publice jactaverat, quem postea
 iudiae Senatus virgis coedi, & exilio
 tinent & huc exempla relata a *Valer*

XVI.

us est, quando quis, personam suam pla-
 nem suam mutat, & se pro alio suppo-
 ma apud Historicos aliosq; scripto-
 inter quae notissimum est illud Plau-
 ptam forma Amphitruonis, adversus
 nocte quadam, velut e bello rever-
 concubuit. Plura vide apud *Johannem*

B 3

Cor. 4

